



MELISSA

EUROPAEA FOLIA SEXIES IN ANNO LATINE EDITA

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan - B-1040 BRUXELLIS. Tel. (02) 735 04 08

Editor Responsalis: Gaius LICOPPE - Compositrix: Francisca DERAEDT

Bureau de dépôt: 1040 Bruxelles 4 - Afgifte kantoor: 1040 Brussel 4

DE VITA LATINA DEDUCTA

Agitur hic de commentariis periodicis, quibus nomen «Vita Latina», inde a mense Iunio anni 1957 Avennione in Francogallia continuo editis. Vix inventur Latinitatis vivaे cultor, qui nesciat hos commentarios periodicos conditos esse paulo post primum «viventis linguae Latinae causa conventum universum» anno 1956 Avennione habitum. Qui periodici mihi maxime sunt cordi, cum per eos, fortuito inventos, motum Latinitatis vivaे noverim orbemque Latinum adierim. Certe iam tempore ultimi Vitae Latinae conventus, quem anno 1975 Pali participavi, acta mihi visa sunt tam imparia votis conventus, ut teneri non possem quin litteras interrogatorias ad moderatores mitterem (cfr Vitae Latinae numerum 61). Mite necnon anceps responsum accepi, unde patebat moderatoribus iam nullum inesse impetum ad Latinitatem vivam provehendam; quare iam non miratus sum dimidiā commentariorum partem Francogallice conscriptam esse; feliciter altera dimidia pars eademque Latina curabatur a sinceris Latinitatis vivaे amatoribus, inter quos praecipue Genovefa Immé, quae inter moderatores sedebat. Hic tamen tantum erat primus gradus Vitae Latinae mutationis...

Cum ante tres circiter menses multi Latinitatis amici undique Bruxellas confluxissent ad inaugurationem Domus Latinae celebrandam, Genovefa Immé nobis stupentibus nuntiavit sed Vitae Latinae moderatoris munere se abdicavisse his de causis: Petrus Grimal, qui multos annos Vitae Latinae praeses fuerat,



Anno 1957 post primum Conventum Avenionensem Vita Latina condita est, quo periodico propagaretur usus Latinitatis vitae.

anno 1988 praeses honoris causa factus est atque in eius locum successit Vido Serbat professor Sorbonicus. Qui, cum cognosceret rationes sumptuarias periodici Vitae Latinae in annos peiores fieri, statuit causam esse quod nimis multi textus Latini divulgarentur. In coetu Vitae Latinae moderatorum die 26 mensis Iunii anno 1989 Avennione facto, multum de hac re disputatum est. Praevaluit praesidis Serbat propositum quod est «de lingua Latina Francogallice disserere ad usum alumnorum»; concessum tamen est ut singulorum fasciculorum quarta pars symbolis Latine conscriptis tribueretur.

Hic secundus mutationis gradus vera statim omissus est; nam lectores Vitae Latinae fasciculi 115 numero, id est primi post moderatorum coetum editi, omnes symbolas invenerunt Francogallice conscriptas. Sine mora

impositus est tertius gradus, idemque scopus eorum qui Latinitatem vivam expellere cupiebant e commentariis ad hanc ipsam Latinitatem vivam excolendam conditis alitisque! Hoc tolerare non potuit Genovefa Immé, neque tolerant multi fideles Vitae Latinae subnotatores, qui irati litteras ad praesidem necnon ad editorem miserunt.

Nefas est Vitae Latinae commentarios deducere de via quam in primi fasciculi praefatione designaverat Iohannes Capelle, egregius Vitae Latinae motus conditor, his expressis verbis: «Nisi ergo opus est ad usum linguae Latinae quam maxime fovendum.»

Gaius LICOPPE

DE RELIGIONE REMONSTRANTUM SIVE DE ARMINIANIS

relatio habita Luxemburgi die 17 mensis Martii anno 1990.

*Unitas in rebus necessariis,
libertas in incertis,
in omnibus amor*

Erasmus monuit, ut Christi fideles inter se diversas de rebus divinis opiniones lenuis paterentur. Si tolerantia intra ecclesiam maior fieret, non opus esse ut ecclesia divideretur in ecclesiam catholicam et ecclesiam protestanticam putavit. Humanitatem christianam anteponendam esse controversis in dogmatis et caeremoniis censuit. Tantum pietas fundata et fixa Biblis sacris et mores boni ei videbantur hominibus Christi fidelibus res necessaria.

Aetate Erasmi, saeculo Reformationis, in Batavia greges protestantici, propter controversias religionis, multa facinora crudelia effecerunt inter se, in nomine Dei. Hoc Erasco scilicet erat res horribilis.

Etiam scripsit Erasmus de libero arbitrio, contra Lutherum, qui negavit homines habere liberum arbitrium sive voluntatem liberam.

Secundum Erasmum homines habent arbitrium liberum, quia sine arbitrio libero iustitia et gratia sanctificans Dei sunt sine pondere. Luther dixit homines habere servile arbitrium et ea de causa omnino dependere a gratia sanctificanti Dei.

Erasmus erat humanista. Non amavit doctrinae dogmata. Magna auctoritate valebat in Batavia, et adhuc valet. Opiniones eius ad originem et ortum ecclesiae remonstrantiae magnam vim habuerunt.

Centum enim annis post mortem Erasmi in Hollandia in universitate Leidensi orta est rixa inter duos theologos protestanticos, Franciscum Gomarum et Iacobum Arminium. Rixa erat de praedestinatione, id est, utrum deus unumquemque hominem iam, priusquam nascatur, praedestinaverit ad paradisum caelestem necne.

Opinio Gomarii erat haec: Deus, antequam aspiciat, quo modo unusquisque homo vixerit, utrum modo bono et pio, an modo malo et impio, eum praedestinat aut ad paradisum aut ad infernum. Itaque homo iam ab initio vitae sua praedestinatus est aut ad paradisum caelestem aut ad inferna aeterna et nihil differt et nihil refert, utrum bene vivat an male. Non potest factis suis sive bonis sive malis mutare praedestinationem suam a Deo factam. Si in initio temporum a Deo damnatus est, manebit damnatus, si in initio temporum a Deo electus et dilectus est, manebit ita. Sic Gomarus opinionem Calvinistam, opinionem Lutheri et dogmata ecclesiae protestantiae defendebat.

Arminius ex contrario, sicut Erasmus, argumentabatur Deum scire, quia omnia scit, iam ante vitam hominum singulorum, utrum credant in Deum et pergent credere necne. Et Deus non damnat homi-

nem, nisi iam scit eum in vita sua numquam gratiam Dei sanctificantem accipere velle. Ut aliis verbis dicam: quisque homo ipse potest factis suis aut bonis aut malis destinare, utrum post mortem Deus se electurus et dilecturus sit an damnaturus.

Haec controversia primum tantum erat disputatio inter duos professores theologos, sed deinde facta est res politica. Post Arminii mortem amicetus, Arminiani, libellum scripserunt, quo suaserunt, ut professio fidei in ecclesia Protestantica mutaretur, quod attinebat ad dogma praedestinationis. Titulus libelli erat «Remonstratio».

Deinde adversarii Armenii libellum divulgaverunt, cui titulus «Contraremonstratio» erat.

His temporibus patria nostra Batavia sive Nederlandia divisa erat in provincias septem. Provincia, quae summis opibus valebat, erat «Hollandia». Nunc Arminiani libellum suum c.t. «Remonstratio» dede-
runt defendendum Iohanni van Oldenbarneveld, qui administer publicis sumptibus provinciae Hollandiae moderandis erat. Ille administer Iohannes van Oldenbarneveld, qui erat tunc temporis vir vetustissimus atque praeclarissimus, qui multa bona efficerat patriae nostrae Bataviae (etiam nunc vivit in animis Batavorum), hoc documentum theologicum in concilio publico eorum, qui provinciae Hollandiae praee-
rant, defendit. Et ita bene rem et opinionem remon-
strantium explicavit et probavit, ut paene omnes ad rem et opinionem remonstrantium attraherentur. Inde effectum est, ut in provincia Hollandia parochi Gomariani sive pastores contraremonstrantes munus deponere cogerentur.

Sed praefectus Bataviae, princeps Mauricius, cupiebat iam per multos annos minuere potestatem tam magnam provinciae Hollandiae et potestatem Iohannis van Oldenbarneveld. Et ~~hunc~~ ei erat occa-
sio. Itaque Mauricius impetum contra Arminianos improsum fecit hoc modo. Quodam die Dominico quandam ecclesiam contraremonstranticam ingressus est, homiliam et lectionem sacram auscultavit, psalmos cantavit. Eo modo demonstravit convenire inter se et contraremonstrantes. Deinde Iohannes van Oldenbarneveld, post iudicium quod non fuit iudicium iustum sed fuit imago falsa iudicij iusti, damnatus est ad mortem et decapitatus est.

Ab hoc momento temporis esse amicum Arminii, i.e. esse remonstrantem, erat scelus politicum et nefas ecclesiasticum. Anno millesimo sescentesimo undevicesimo pastores remonstrantici deponere munus coacti sunt. Omnes qui recusaverunt in exilium depulsi sunt. Multi pastores tunc ad urbem Antverpiam decesserunt, ubi statim fraternitatem remonstrantiam condiderunt. Theologus cui nomen Simon Episcopius apogliam theologicam pro re-

monstrantibus conscripsit.

Sed anno millesimo sescentesimo vicesimo quinto princeps Mauricius ex vita decessit et circiter anno millesimo sescentesimo tricesimo remonstrantes iterum ubique liberi vivere potuerunt. Anno millesimo sescentesimo tricesimo quarto Episcopius condidit in urbe Amstelodamo seminarium theologicum remonstranticum.

Postea fraternitas remonstrantica facta est ecclesia libera et separata, quae semper conscientiam et opinionem propriam hominum singulorum respiciebat et quae hominem et eius facultates naturales diligenter attendebat. Initio saeculi vicesimi in ecclesiis protestantibus voluerunt efficere ut religio vel sensus religionis melius conveniret cum communi aetatis sensu et scientia. Hoc studium «modernismus» nominatus est. In hanc rem theologi remonstrantici multam operam dederunt, qui propter tolerantiam suam apti ad eum scopum assequendum erant.

Fraternitas remonstrantica nec habet neque novit professionem fidei communem, sed habet declarationem rationis. Verba huius declarationis sunt haec: «Fraternitas remonstrantica in evangelio Iesu Christi radices suas habet et, cum teneat rationem libertatis et tolerantiae, Deum colere et Deo servire vult.»

Remonstrantes singuli suam plerumque scribunt professionem fidei sed hae professions inter se differunt. Ea de causa remonstrantes ea professione non sicut gladio contra eos qui alio modo credunt uti possunt neque volunt.

Remonstrantes nequaquam de omnibus rebus divinis una et eadem opinione sunt, nihilominus inter se coniunctos esse sentiunt et sciunt se coniunctos esse cum Deo. In ecclesia remonstrantica hominibus licet cogitare de multis rebus sicut eis videtur esse bonum.

Fundamentum religionis remonstrantiae est dictum hoc: «Unitas in rebus necessariis, libertas in rebus incertis et in omnibus rebus amor.»

Necessarium remonstrantibus tantum est ut homo credat in Deum et ut sequi cupiat Christum in vita, id est, adiuicare et consolari homines qui sunt in egestate, qui tristes sunt vel infelices vel pauperes. Dummodo quis has condiciones accipiat, in fraternitatem remonstrantiam assumi potest. Fraternitas remonstrantica opiniones proprias hominum singulorum respectat et non excludit ex fraternitate eos qui opiniones suas habent, dummodo subscrivant verba declarationis.

Exempli gratia:

In numero remonstrantium sunt qui putent Mariam non fuisse re vera virginem in hoc momento temporis in quo peperit Iesum Christum.

Sunt qui credant Iesum non esse deum sed hominem singularem et unicum et prophetam. In libris quidem sacris legitur Iesum Christum esse filium Dei, et Mariam virginem peperisse Iesum, sed isti argumentantur libros sacros ante duo millennia

scriptos esse et tunc cultum humanum viguisse, qui magno differebat a cultu humano aetatis nostrae. Quo modo quis verba Novi Testamenti interpretari velit, sive ut per allegoriam dicta sive absolute et omnino et verbotenus vera sive vera secundum opiniones eorum, qui tunc temporis erant, non est res maximi momenti remonstrantibus. Remonstrantibus Novum Testamentum est liber, in quo collecta sunt ea verba, quae Jesus Christus de Deo, de hominibus, de se testificatus est et ea, quae alii de Eo et in nomine Eius testificati sunt et Vetus Testamentum ostendit homines ex Deo esse et cum Eo coniunctos. Biblia Sacra sunt remonstrantibus libri singulares et unici et maximi momenti et ex quibus homines multa discere possunt, quae ad vitam religiosam et vere humanam pertinent, sed remonstrantes non omnes credunt

Biblis Sacris re vera conti-

neri ipsa Dei verba. *Subiecti viri protestantici*

Sunt remonstrantes, qui dubitent, annon Jesus re vera miracula supranaturalia fecerit, an potius aegrotis novam spem dederit, quia eis narravit de amore Dei, et hoc modo eos consolatus est.

Atque etiam sunt, qui non credant homines post mortem sive ascendere ad caelum sive ad infernum descendere.

Alii dicunt: propter iustitiam Dei necesse est infernum extare. Sed propter amorem magnum Dei nemo in inferno inest.

Quotquot opiniones iuxta se existant in fraternitate remonstrantica, nihil refert. Dummodo homines vivant et agant secundum suam conscientiam honestam, Deus contentus est. Remonstrantes non quaerunt veritates sempiternas et immutabiles; fraternitas remonstrantica vult esse ecclesia sine dogmatis.

Cenam ultimam sacram, quae dicitur, participare omnibus licet.

Coniunctioni inter virum et mulierem facienda, qui non in matrimonio vel coniugio legali coniuncti sunt, atque coniunctioni inter duos viros aut inter duas mulieres facienda in ecclesia remonstrantica



benedici in nomine Dei potest.

Ab initio saeculi nostri etiam mulieribus licet esse pastoribus sive parochis.

Remonstrantes tantopere libertatem religionis sovent, ut numquam alios ad opiniones suas attrahere voluerint neque ad ullam partem orbis terrarum missionarios miserint. Tamen decennio tertio huius saeculi fraternitas remonstrantica erat prima et una ecclesia quae palam disprobavit fascismum nationalis; etiam communismum dictatorialem damnavit.

Ego, cum infans essem, baptizata sum in ecclesia remonstrantica a pastore muliebri. Verba quibus pastrix post baptismationem mihi benedixit, erant:

«Pastor tuus non dormiet.»

Ea verba mihi semper fuerunt auxilio et consolacioni. Quotienscumque mihi est aliqua difficultas aut tristitia in vita mea, memini haec verba et semper accipio consolationem et vim novam ex eis, quia tum me non esse solam censeo.

Cum essem quattuor annos nata, a parentibus mittebar ad scholam catechesantium. Aderant multi pueri et puellae et ibi audivi de Deo, patre nostro bono qui est in caelo, qui omnia fecit et qui nos omnes valde amat. Qui semper nobiscum est, quia ubique est, et qui miseret nostri, nos intelligit et nos semper adiuvare vult.

Nihil audivi de inferno, quod sciam. Et ceterum didici Deum semper prope nos esse sed eodem tempore tam excelsum esse ut non videre posset neque videre vellet, utrum crux in tecto alicuius ecclesiae posita sit an gallus aeneus an semiluna an fortasse omnino nihil.

Erat in ea schola in pariete magna pictura, in qua pictus erat magnus circulus vel magna corona puerorum et puellarum, alborum, nigrorum, flavorum, rubrorum. Semper in initio et in fine conventus, nos, puellae et pueri parvi solebamus manus porrigithe inter nos et eo modo facere inter nos circulum. Tum ductrix sive dux scholae dicere solebat nunc in spiritu una nobiscum coniuntos esse pueros et puellas nigritas et Indianos et Sinenses et catholicos et Lutheranos et Esquimos sive Esquimenses. Deinde cantabamus hoc carmen:

«Liberi eiusdem patris,
porrigamus manus inter nos
ubicunque habitamus
in quacumque regione aut terra
quocumque modo loquimur,
quocumque sermone, quacumque lingua
liberi eiusdem patris
nos omnes sumus.»

Carmen haeret firmiter in animo meo infixum, verisimiliter quia tam saepe cantavi. Si quis praejudicia sua monstrat, si quis dicit exempli gratia nigritas pigros esse et ea de causa peiores esse nobis, sive dicit fures statim indiscriminatim necandos esse pistolio, pudet me, et re vera perturbata sum. Si quis sine ulla tolerantia loquitur de muslimis, etiam abhorreo, quamquam certe disaprobo, si eorum nonnulli intollerantiam exhibit. Ita est, sine dubio, quia illi nigritae et illi fures et illi muslimi olim in spiritu mecum in circulo parvorum erant conjuncti et mecum cantabant carmen «liberorum eiusdem patris».

Longe abest ut homines sint perfecti. Sed Deus nos omnes intellegit, inspicere potest in corda nostra, scit de unoquoque nostrum id, quod assequi volumus et errores nostros et miseret nostrorum omnium, nullo excepto. Nos, inter nos, non semper possumus ignorare, propter imperfectitudinem nostram, sed Deo gratias - Deus perfectus est, et mea opinione amore suo et misericordia sua suis liberis veniam omnium mendorum dat.

In me certe est quaedam fides et quidam optimismus in vita et puto ea mihi data esse ante multos annos, cum in diebus dominicis scholam catechesantium participarem.

Ceterum spero fore, ut in paradiso caelesti peropere Latine loquar et alii quoque, ut tandem perfecte inter nos intelligere possimus, eodem modo quo nunc, in terra, Deus nos intellegit. Sed utrum in caelo Latine loquantur an fortasse aliqua alia lingua divina nobis adhuc ignota, an fortasse taceant feliciter, hoc in religione remonstrantica certe inter res incertas nominatur.

Bella STOELINGA

ALTER EXIT ANNUS

Anne qui moreris, scio
tanta cur opulentia
lucis et sonitus vias
urbis implicet et domos.
Crastinas tenebras ego
sole pello vicario,
noctis otia posthumae
concinens quasi prorogo.
Anne, non moreris; sum ego,
anne, qui morior. Sed, oh,
mensis ultime et innocens,
te reum interitus sui
sors caduca hominum vocat.
O superbia flebilis!
Scripta si mea finis est,
cur meum dubium diem
semini assimilo soli?
Anne, non moreris; sum ego,
anne, qui morior. Meum
exitum obruo floribus,
imminensque silentium
garrula obtego musica.

{ nra i
place
= exha

Iosephus TUSIANI
Neo-Eboracensis

TEXTUS QUIDAM STILO SUBLIMI

AD CONSOLATIONEM FINNORUM

ANNO 1940 EDITUS

Bellum inter Russos et Finnos, quod vocatur hibernum, die 13 mensis Martii anno 1940, duris condictionibus a Russis populo Finnorum impositis, finitum est. Postridie eius diei Carolus Gostavus Aemilius Mannerheim (1867-1951), qui summus Finnorum eo bello imperator fuit, edictum omnibus Finnis destinatum stilo grandi et imperatoria gravitate promulgavit, quo gratias civibus ageret eorumque animos maerore conflictos consolareetur. Textum huius edicti Latine versum vobis expono.

Taiwas OKSALA



Carolus Gostavus Aemilius Mannerheim, mareschalcus Finniae (1867-1951). Imaginem delineavit Taurus Oksala

Edictum in diem 14.3.1940 summi imperatoris mareschalci Mannerheim

Milites exercitus Finnorum gloriosi!

Pax facta est inter patriam nostram et Russiam Sovieticam, pax gravissima, qua Russiae Sovieticae paene omnis campus deditus est, ubi vos sanguinem fudistis pro eo, quod nos carum et sacrum habemus.

Vos bellum noluitis, vos pacem et laborem et progressum dilexistis, sed ad pugnam necessitate coacti magnas res gessistis, quae per saecula in paginis historiarum splendebunt.

Plus quindecim milia vestrum, qui in campum progressi estis, non iam domos suas revisent, et quam multi sunt illi, qui laboris et operum facultatem in perpetuum amiserunt. At vos quoque ictus gravissimos inflixistis, et quod nunc ducenta milia hostium in nivibus iacentia oculis mortuis caelum stellis ornatum contemplantur, vestra culpa factum non est. Eos non oderatis neque eis male voluistis, sed belli gravissimae legi paruistis, quae iubet militem necare aut necari.

Milites! In multis campis militavi, sed nusquam milites vobis pares vidi. Vos ostento tamquam mei filii essetis, tam virum montium Lapponiae quam camporum Ostrobothniae, silvarum Careliae, collum Savoniae, agrorum fertilium Tavastiae et Satacundiae, mitium lucorum Nylandiae et Finnoniae provinciae. Neque minoris duco sacrificium, quod filius casae humilis offert, quam id, quod offert vir dives.

Vobis omnibus gratias ago, praepositis et superioribus et inferioribus ac militibus ipsis, sed praesertim volo laudare sacrificium animosum et pietatem et praestantiam praepitorum subsidiariorum, qua officium praestiterunt, quod ab initio non eorum fuit. Quam ob rem sacrificium eorum pro centesimis partibus maximum est totius belli, gaudio tamen et firma pietate praestitum.

Gratias ago praepositis praetoriorum pro eorum arte et labore indefesso et proximis meis adiutoribus, scilicet praefecto praetorii generalis et summo magistro collocationis, praefectis exercitus, eius partitio-
num et singularum divisionum, qui saepe effecerunt, quod fieri posse non videbatur.

Exercitui Finnorum cum omnibus armorum generibus gratias ago, quae sincero certamine a primis diebus belli maximas res gesserunt. Gratias ago exercitui nostro pro virtute, qua hostem numero multiplicem, partim armis inusitatibus ornatum, aggressus est, et pro pertinacia, qua in solo paterno ita haesit, ut ex loco digitum vix discederet. Plus mille quingenti currus Russorum armati et plus septingen-
tae aeronaves bombardariae et venatoriae delectae narrant de rebus, quas saepe viri singuli sua virtute gesserunt.

Non sine gaudio et gloria de feminis Finnis cogito, ordinis eius, qui «Lotta Svärd» appellatur, de earum sacrificio et adsiduo in diversis operibus labore, quo multa milia virorum in aciem expedita sunt. Animo suo nobili milites incitaverunt et adiuverunt, quorum


gratiam et honorem
plane consecutae
sunt.

In magno honore
steterunt etiam belli
duri tempore multa
milia operariorum,
qui plerumque vo-
luntarii etiam impe-
tibus aeris immi-
nentibus iuxta ma-
chinas suas labora-
verunt et exercitui
res necessarias
praeparaverunt, nec
non ii, qui adsiduo
labore hostibus ir-
ruentibus operam
stationis muniendis
dederunt.

Tanto animo et
sacrificio oblato tam-
en gubernatores
patriae coacti sunt
pacem duris condi-
cionibus accipere,
quod tamen intellegi
potest. Exercitus
noster fuit parvus, et
eius copiae subsi-
diariae et ordinariae
deficiebant. Ad bel-
lum contra potentio-
res gerendum parati
non eramus. Militi-
bus fortibus fines
nostros defendantibus
ea, quae deeran-
t, summis viri-
bus praeparanda
erant. Munitiones,
quas non habuimus, ducendae erant. Auxilium, quod
non venit, erat petendum. Arma et apparatus para-
nda erant tempore, quo omnes terrae acerrime se
contra tempestatem praeparabant, quae orbi terra-
rum imminebat. Virtutes vestrae maximam admira-
tionem per omnes terras excitaverunt, sed post bel-
lum trium mensium et dimidii paene soli sumus.
Neque quicquam auxilii a peregrinis nisi duas cohorte-
nes confirmatas cum tormentis bellicis et aeronavibus
impetravimus exercitibus, in quibus nostrates sine
requie pugna nocturna et diurna impetus semper
novarum opum hostilium sustinuerunt viribus ani-
misque ad infinitum contentis.

Cum historia huius belli quondam conscripta erit,
orbis terrarum res a vobis gestas cognoverit.

Sine largo auxilio armorum et apparatum, quod
Suecia et nationes occidentales nobis dederunt,
pugna nostra contra innumerabilia tormenta et cur-
rus armatos et aeronaves hostium hactenus fieri non
potuisset.



Statua equestris mareschalci Mannerheim, a sculptore Aimo Tukiainen excusa, Helsinki sita. Mannerheim potuit, iam aetate provectus, duas horas in equo sedens exercitum in pompa praetereuntem salutare. Post illum forte nullus summus imperator veniet, qui iure statua equestri honoratum tri posse.

cula multo sudore et labore coluimus, genti alienae,
quae diversam vitae rationem et diversa instituta mo-
resque habet, derelinquere debemus. Nobis autem
dura consilia adhibenda sunt, ut profugis domicilium
et meliorem victum omnibus praebeamus in partibus
illis, quae nobis iam supersunt. Haec autem patria di-
minuta defendenda est eadem pertinacia et eisdem
firmis rationibus, quibus patriam integrum defendi-
mus.

Magno animo conscientia sumus munieris historici,
quod praestare pergitus: scilicet culturam occiden-
talem tueri, quod iam per saecula hereditas est nos-
tra, sed scimus etiam usque ad ultimum obolum a no-
bis redditum, quod mundo occidentali pro ea debere-
mus.

Mannerheim
(Latine Teivas OKSALA)



LECTORES AD NOS SCRIBUNT

Cum laudes tum reprehensiones, etiam variis nuntiis a Melissae moderatoribus grato animo accipiuntur. Has inter alias adnotationes lectorum lectoribus communicare voluimus:

Andreas Flour de Melissa 33 nos monuit non solum scribendum esse Ξριστός loco Ξριστός (p.3), sed etiam signum IHS non pertinere ad litteras Graecas Ἰησοῦς Ξριστός Σωτήρ sed significare: «Jesus Hominum Salvator»:

"Nunc mihi clarum est quomodo in mente tua confusio nata sit de notis IHS. Verisimiliter cogitavisti de signo Graeco Ιχθύς (piscis), quo nova et vexata ecclesia usa est ut saeculo primo p.C.n. tritiali tritiatos recognoscere possent. (...) Christiani spontanea mente usi sunt litteris Graecis Ἰησοῦς Χριστός Θεοῦ Υἱός Σωτήρ."

Cum alii nobis dicerent rem esse in dubio, professorem Andream Wankenne Namurensem historicum interrogavimus, qui ad nos misit paginam photocopiatam operis c.t. «Catholicisme Encyclopédie» (1949): unde discitur signum IHS Medio Aevo compositum esse e tribus primis litteris verbi Graeci: ΙΗΣΟΥΣ.

Fortunatus Giacomini una cum votis in annum novum nobis misit paginam periodici c.n. «Ulis 2000» mense Decembri anno 1989 editi, in qua invenerat symbolam lectu dignam. Antonius enim Burgess scriptor Anglice scribit his modernis temporibus magis magisque necesse esse redeamus ad fundamentum cultus nostri civilis; dolendum autem esse quod nobis deest lingua quaedam communis; linguam Anglicam vel Francogallicam vel Theodiscam vel aliam numquam fore principem in Europa; ergo ad Latinitatem mediaevalis, quae revera fuerit lingua Europae, esse redeundum.

Iohannes Michael Carayre haec inter alia ad nos scribit: "Lectio periodici tui me maxime tuvat; qua mihi linguae Latinae rudimenta discipulis collegii docenti est et auxilio et gaudio; ita occasio mihi datur legendorum textuum Latinorum - quod magistro linguae Latinae quam saepissime agendum est - qui, tractantes praecipue de rebus hodiernis lingua classica, iucundiores facilioresque intellectu sunt quam textus scriptorum «classicorum». Nonnulla excerpta Melissae, praecipue rubricae «simplicissime quomodo varia exprimantur», do discipulis legenda. (...) Abhinc paucos menses, apud domum tuam editoriam duos libros paravi: Melissae lexicon minus Latinitatis modernae (1988) et Vade mecum ad usum hodierni viatoris Latini (1989). Primo saepe utor, scribens epistulas Latinas aut legens symbolas in lucem editas sive in Melissa sive in Voce Latina sive aliis in periodicis Latine scriptis. Alter aestate proxima vadit mecum rus, ubi ferias agebam, praecipue in propinquum natabulum (et etiam ad maris litus per brevem mansionem!); post natationem, sub sole, inter tam multos pueros adultosque strepentes tantum breves sententiae textusve a me facile legi possunt. Quem libellum legi legique et locutiones memoriae mandavi. (...) Dabam Vindini Cenomanorum (Le Mans) die 24 mensis Februario anno MCMXC." Gratias ei pro hortatione.

Iam scimus Finnos strenuissimos Latinitatis fautores esse. Qui indefesse progredi pergunt:

Thomas Pekkanen haec nuntiat: "Nuntii Finnorum Latini iam aliquot septimanas etiam in televisione textuali sunt, ut omnes, qui apparatum idoneum, id est receptaculum cum canali textuali instructum, habeant, eos domi sua legere possint. Spectatores ita quacumque hora per totam septimanam emissio televisifica fit, nuntios commode legunt. Hoc linguae Latinae praceptoribus et discipulis valde utile est." (die 26 m. Februarii datum)

Telvas Oksala addit: "Ego quoque in arena Tamperensi parvulam victoriolam reportavi (...): redactor radiophoniae universitariae Tamperensis, nomine Seppo (Faber) Huiku, a me petivit, ut quaque altera septimana «Horas Latinas» (circiter 15 minutarum) emitterem. Autumno anni 1989 haec themata tractavi: 1) Urbs Tampere et eius ecclesia cathedralis, 2) Peregrinatio in Italiam meridionalem facta et pollutio Saturniae telluris, 3) Colloquium abbatis et eruditae Erasmi Roterodamensis, 4) Valedictio Solis Einonis Leino (poema Melissanis iam notum), 5) Duo carmina Iuris (Juice) Leskinen, modulatoris cuiusdam POPularis, 6) Carmina natalicia. Emissiones in regione tantum Tamperensi auscultari possunt, sed ibi benignissime sunt acceptae." (mense Martio datum)
Amicis Finnis magnus plausus dandus est; utinam eorum exempla sint utilia ad nostros diurnarios excitando!

? eius inscriptio cursualis?

AB OBLIVIONE VINDICENTUR...

IOSEPHI FAVARO (1877-1954) PARERGA



In Leonardum anatomen exordientem carmen

Vix tenebras cryptae frangit fumosa lucerna,
quam regit infixus parieti ferreus uncus.
Annisus muro, fulcris sub lampade fultus,
longus, planus, libratus distenditur axis
et super hunc facet exutum livensque cadaver, 5
dum super hoc, tergo flexus, quidam gravis instat,
aurea cui faciem meditantem barba coronat;
qui cultro, manicis revolutis, dissecat acri
corpus et e latebris umentia detegit exta.
Interdum, manibus mantelli a sanguine tersis, 10
mobilis umbra locum contractum dum replet ingens,
corporis ad caput, extremae mensae prope limen,
ipse manu laeva, graphio celerante, figuris
scriptisque inversis pagellas sedulus implet.
Sic oculis nostris, pater o Leōnarde, videris, 15
cum primum, fugiens lucem vulgusque profanum,
corporis humani mysteria pandere es ausus
horrorem superans, discendi captus amore.

Velivolus et Leonardus

Magno helicae fremitu peragrat velivolus arvum,
mollem herbam sulkans exsiliente rota;
et levis et facilis, gravis etsi, machina fertur,
subter ea raptim dum cita terra fugit:
planitiae ad fines geminis attollitur alis 5
atque gradatim dein aetheris arva petit.
Auribus atque oculis procul, en, sic nonne videtur
nil aliud stridens quam voltansque crabro?
Quod molitus erat, sed non Leonardus adeptus,
en factum tandem perspicuumque patet! 10
Discipuli naturae mente sed ala fuisse
haud rigida, at nutans mobilis instar avis.
Quomodocumque putes, esto molimine tali,
tanto ausu nec non, ac ita praecipue
quod ratio casus inhibendi sic patescata, 15
magna Leonardo laus tribuenda tamen!

Poematia ista (in urbe Mediolano mihi forte inventa)¹, quorum prius admodum probo, posterius si nonum esset pressum in annum magis me moveret, anno 1941 scripsit foras et edidit Iosephus Favaro.

medicus anatomicus Patavinus (1 V 1877 - 19 X 1954). Qui studiorum in universitate Mutinensi munere dum fungitur academico (1926-1935), praelectiones singulares eo fine instituebat, ut alumnos ad colloquia de rebus technicis Latine habenda incitaret². Idem et scriptoribus fovebat Latinam linguam litterasque humanisticas; siquidem, alia ut praeteream, opera Gabrielis Falloppii medici eiusdemque scriptoris Latini (saeculo XVI florentis) dilucide illustravit et investigavit exposuitque praecise quam Latine dicendi formam duxisset antiquorem Hieronymus Tiraboschi, praeclarissimus (saec. XVIII) litterarum Italicarum historiographus³. Neque poeticos accedere ad latices designatus est Favarus. Quotquot enim ei innoverant poetae, quibus Leonardus⁴ ille Vinci aut celebratus esset aut memoratus, eos unum in album congressit; quos inter eminebant Lanicinus Curtius, Flavius Antonius Giraldius, Ugolius Verinus, Benedictus Sossagius, Petrus Rasi, Hector Stampini⁵. At, cum his congestis de poesi neolatina bene ille esset meritus, maiorem tamen sibi laudem comparavit missa ad Certaminis Hoeufftiani iudices Amstelodamenses carmine c.t. «Mors lanata»⁶. Quibus versibus anno 1936 palma donatis magna cum eloquentia descriptam admiramus talem corporis dissectionem, qualis saeculo XX soleat fieri; carminis eius prohemium exscripsi, quo commodius assimulari posset versiculis istis, quos ab obliuione vindicavi:

*Murmure dum vario resonat reboatque theatrum
et quandoque tubens vox quaedam tollitur alta,
seruet opus properatque labor. Diffunditur aequa
lux ubicumque cadens summo de fornice blanda.
In media cavea, super albo marmore mensam,
nudum, porrectis resupinum cruribus, hirtum,
procerum, squalens macie totumque rigescens,
exanimum corpus, subiecto caudice collo,
stat caput abiciens modiceque recline deorsum.
At iacet illud iners an non? Terribile visu! (vv. 1-10)*

Medicos interdum poetantes protulere saecula priora haud paucos, velut Hieronymum Cardanum Mediolanensem, Nicolaum Stopiam Belgam, Hadriani Junium Batavum, qui floruerunt saeculo XVI,

Rufinum Schockaert Belgam, qui exequente saeculo XIX Latinos faciebat versus; saeculo vero hoc nostro perpauci videntur superesse, quibus in eandem provinciam devertere libeat; quos inter Gustavum Wallner medicum Austriacum honoris causa nomino.

Theodoricus SACRE

Adnotaciones

(1) «In Leonardum anatomen exordientem carmen». Estratto dal Vorhume di scritti in onore del Prof. P. Capparoni (Augustae Taurinorum, 1941); «Velvolus et Leonardus», divulg. in commentaris q.t. «Excelsior», 1941, num. 1.

(2) «Teneva anche un corso libero di conversazione latina scientifica»: C.G. Mor - P. Di Pietro, Storia dell' Università di Modena, I (Storia delle università italiane, 2) (Florentiae, 1975), p. 244. Cf. etiam A. Pazzini, Bibliografia di storia della medicina italiana (Encyclopedie biografica e bibliografica italiana, 31, 1) (Mediolani, 1939), pp. 38-40 et 72-73; I. Fischer (ed.),

Biographisches Lexikon der hervorragenden Aerzte der letzten fuenfzig Jahre, I (Monaci et Berolini, 1962³), pp. 389-390.

(3) Gabriele Faloppia, modenese... Studio biografico (Mutinae, 1928); «Antonio Scarpa e Girolamo Tiraboschi a proposito di latino», in commentariis q.t. Atti e Memorie della R. Accademia di Scienze, Lettere ed Arti in Modena, ser. IV, 3 (1931).

(4) Observavit Favaro alteram «Leonardi» syllabam a poetis alias correptam esse, alias productam.

(5) «Leonardo da Vinci nella poesia latina», in commentariis q.t. Atti e Memorie, o.c. (in adn. 3), ser. V, 1 (1936). Quo indice Favaro supplevit L. Beltrami, «Poesie menzionanti Leonardo (secoli XV e XVI)», in Id., Documenti e Memorie riguardanti la vita e le opere di Leonardo da Vinci in ordine cronologico (Mediolani, 1919), pp. 207-215.

(6) Mors laniata. Carmen Iosephi Favaro Patavini in certamine poetico Hoeufftiano magna laude ornatum (Amstelodami, 1936). Cf. J. IJsewijn, «Ad mortem Josephi Favaro, anatomici Mutinensis», in comm. q.t. Palaestra Latina, 31 (1961), pp. 161-162.

DE LUDIS OLYMPIIS PHILOSOPHICIS MENSE MAIO HABENDIS

PHILOSOPHIA AD MUNDUM UNIVERSALITER RECOGITANDUM

Dum de rebus politicis Europae Orientalis per orbem terrarum agitur, quaedam non tam bene nota nec tam saepe tractata nuntiare velim. Magni momenti humanistici res in Bulgaria celebrata est anno 1989, quo primi ludi Olympii philosophici inter discipulos scholarum instituti sunt. Secunda Olympia mense Maio huius anni agentur. Quae animos iuvenum valde attrahunt, unde iudicari potest, quam sint de quaestionibus existentiae humanae solliciti.

Sicut universalis est lingua Latina, ita studia philosophica modum et exemplum intellegendi universale praestant. Nuntium de nostris ludis Melissae mittimus, quae culturae et scientiae ad Europam redintegrarendam intentae mel pretiosissimum colligit.

Programma ludorum in octo partibus consistit, quae intitulantur: Quid philosophia sit; Philosophia quae societatem corrigit; Doctus, cognitio, scientia; Philosophia et doctrinae speciales (mundus physicus, mundus vivus, numerus et res); Artificialis imago

mundi; Homo religiosus; Homo et ceteri; Cultura - quae traduntur et aestimantur.

Pro exemplo thematum tractandorum sint: Quis est philosophus, sapiens aut sapientiae amans? Dubitatio philosophica; Numeri-ideae Platonis; Spatium architectonicum; Homo superfluous; Culpa Socratis; Solitudo - asylum aut exsiliū; Amor - Ego et Alter Unicus; Mythus et mundus. Quavis forma cogitationes suas philosophicas ad thema electum pertinentes participibus exponere licebit.

Ludorum moderatores volunt, ut inter complures gentes celebrandi siant. Ideo exspectant vestros de eis nuntios et opiniones. In Universitatem studiorum Serdicensem Iohanni (Ivan) Kolev epistulas vestras dirigite, cuius inscriptio cursualis est Bulgaria, Sofia 1504, Russki 15, Sofia Universitet, kabinet 62.

Haec Milena MINKOVA, Bulgara, nuntiavit.

DE CALCUTTA

Opinor multos Europaeos se sorte et vita sua - licet nonnumquam difficilioribus - felices existimaturos esse, si viderint in multis longinquisque nationibus quanta sit miseria, quam multi et horribiles morbi. Mense Iulio anni 1989 undecim dies Calcuttae egi. Adventum in hanc urbem, iam die multo et obscuro, quasi non percepit. Raedarius meritioris mecum aliquantulum locutus erat, postea cum sorore missionaria Gallica, in Matris Teresae illius domo, collocutus eram. Sed iam viae angustae et sordidae, quibus cito amici me in «Exercitus Salutis» deversorum ducebant, aliquid praesentire*repti* fecissent, nisi - *quaesumus* - praeter colloquia - post viginti quattuor horarum iter me fatigatio oppressisset. Sequentibus autem diebus

~~essent~~ *quaesumus* in urbe Calcutta vitae condiciones paulatim cognovi.

Urbs his incolarum condicionibus singitur: vix urbem ingressus in numeros mendicos ubique vides. Iacent manci et leprosi vel ante Musei Indici portas. Iacent etiam ubique sordes: in viarum marginibus, ubi sparguntur purgamenta, homines coxim sedentes naturae necessitatibus oboediunt. Caprae et canes et praesertim nigri ravo collo corvi alimentorum residua - quin etiam mures mortuos! - edunt, mulieres et pueri nudis pedibus incedentes manibus explorant num quid ibi inveniant quod usui esse possit. Sordes in ampliores urbis locos plostellis transferuntur,

denique interdum mechanicis palis collectae autorae-dis onerariis extra urbem vehuntur. Primo mane multi in viarum crepidinibus dormientes expurgantur. Homines, persaepe hominum turmae, aquam ex viarum antliis emissam super corpora fundunt, alli vestes suas sapone et aqua lavant. Postea vita cottidiana continuatur. Parvae tabernae, in quas introire vix possis, aperiuntur: authepsis potionis theanae calesiunt, crustula et panes veneunt. Homines semper humi sedent, sellae rarissimae sunt. Sed maxime commovent pueri macri et seminudi et homines carros trahentes aut pondera maxima super capita ferentes. Autoraedae et equi ad hoc faciendum desunt. Unica urbs in orbe, Calcutta homines-equos ad homines in cisis sedentes transfe-

rendos habet. Etiam hominem-equum pedem mancum habentem et alterum manu parva et disformi vidi. Odor, quem numquam antea senseram, urbem pervadit. Quasi odorem putredinis, fumo et humiditate permixtum, dixeris. Interdum mulieres lacinias superiores vestium ante ora ponunt ut se ab hoc odore protegant. Miseri et infirmi prope templum deae Kali dicatum (sermone Bengalensi Kalighat) frequentiores flunt, in cuius templi parte quadam Matris Teresae domus est qua accipientur morituri. Dea mortis, infirmos allicit. Sed in India haec rerum condiciones *quaesumus* accipiuntur et probantur: homo miser, si vitam bonam et iustam egerit, in altera vita post mortem in divitem reincarnari poterit. Opera christiana ad caritatem exercendam, modo ne praeter modum crescant, tollentur et admittuntur. Sed Europearum sororum et aliorum Europaeorum qui in India pro miseris laborant commorationes singulis annis renovantur et clerici Europaei in Indiam iam non admittuntur. Iure tamen et merito monumentum Americanum ad consumptiōnem augendam in societate Indica vitatur. Televisio pelliculis Americanis nondum invaditur et cocacola publice non venit. Potiones alcopilcae et cerevisia non multis cauponis veneunt et Indi prohibentur eas potionē emere. Et reapse quid accideret



Leprosus ante templum deae Kali mendicans

si septies milies centena milia Indorum, quorum dimidia pars minus quam duodeviginti annorum est, sicut nos Europaei viverent et consumerent?

Id quod in hominibus, id est egestas et morbi, etiam in vehiculis et stratis et aedificiis videtur. Raedae longae omnes veteres et ruptae sunt. Nihil est in eis quod mundum et lucidum et hodiernum sit: tintinnabulum ad stationem petendam longa rete per raedae lacunar posita agitur et aliquando veteribus dolis metallicis pars dextra viarum a sinistra selungitur. Lux electrica saepe deest ita ut generatris electricis utendum sit. Vaccae a media urbe prohibentur sed iam prope inveniuntur. «Gaudii urbs» (sed hoc nomen fictum est) quam Dominicus Petra (Gallice Lapierre) in libro eiusdem nominis describit, prope



Homo-equis

Iohannes GRANATA Italus die 19 m. Februarii anno 1990 scripsit. 15 via Provinciae Narbonensis, F-13090 Aquae Sextiae (Gallice: 15 rue de Provence, Aix en Provence), tel. 42 20 33 91. Gratiae maxime Patri Basilio Hypeau o.s.b. propter correctiones et consilia aguntur. Photographemata facta sunt a Iohanne Granata.



Templum deae Kali

DE NOVIS LIBRIS

Historia Apollonii regis Tyri. Roman du Ve siècle après J.C., présenté pour la lecture cursive par Pierre MONAT, professeur à l'Université de Franche-Comté, Vesontione ed. A.R.E.L.A.B. 1988. Liber peti potest ab associetate c.n. A.R.E.L.A.B., B.P. 241 - F-25016 Besançon cedex.

«In civitate Antiochia rex fuit quidam nomine Antiochus, a quo ipsa civitas nomen accepit Antiochia. Is habuit unam filiam, virginem speciosissimam, in qua nihil rerum naturā exerraverat, nisi quod mortalem statuerat. Quae dum ad nubilem pervenisset aetatem et species et formositas cresceret....» Huic fabulae initium idem est ac narrationi Caroli Perrault c.t. «De pelle asinaria»: erat aliquando rex quidam, qui filiam suam tantum amabat ut nuptiarum petitoribus aenigma inenodabile imponeret, quod nisi inventirent decollarentur. Sed iuvenis princeps regni vicini, Apollonius nomine.... At nolo omnia Apollonii facinora vobis narrare. Legatis textum, qui integer non tam facile invenitur (Ed. A. RIESE, coll. Teubner, 1893). Petrus autem Monat partes nonnullas excerpit (narrationis circiter dimidiā partem) ad usum scho-

stationem ferriviariam invenitur. Elus viae non stratae, angustae et per frequentes, a pueris animalibusque habitantur...

Quid amplius? Sororum Matris Teresae labor, pro eius verbis, gutta in mari est, sed mare guttis componi potest. Elus tamen exemplum, sicut exempla medici Iohannuli (Anglice Jack), qui cum collegis et voluntariis cottidie aegros in crepidine curat, et aliarum societatum, amorem erga eos auctoritates Indicas et omnes nos divites docere poterit?

larem aptas, quas explicationibus Francogallice conscriptis colligavit. Verba difficillora in margine explanantur vertunturve.

Pro certo habemus hanc fabulam lectu dignissimam discipulos delectaturam esse. Ceterum Petrus Monat in prooemio magistros monet hanc narrationem non solum esse pulchram fabulam sed aliis de causis dignam esse, quae discipulis proponatur: eam ab opere quodam Graeco ductam esse appareat et ex Apollonio, persona vere Apollinea, et e stilo ipso (tales e.g. inveniuntur locutiones: «dico quia» = λέγω δι). Inest etiam mira mixtura paganismi christianismique. Denique opus est populare: eo magis pretiosum quo rarius factum est ut talia opera nobis servarentur.

Quod ad Latinitatem pertinet, editor noluit eam ita emendare, ut aspectum Ciceronianum praeberet: etiamsi grammatica classica paulisper offenditur, textum servavit originalem, quo discipuli melius intellegent linguam Latinam fuisse linguam vere vivam - id quod eos interdum fallit...

Francisca DERAEDT



Scientia politica

LICEATNE TYRANNUM NECARE QUAERITUR

I

Quaerentibus nobis, liceatne tyrannum necare, primum quid sit tyrannus definiendum esse videtur. At certo scimus multos iam philosophos optime definitivisse, inter quos quin emineat Aristoteles dubitari nequit. Aristoteles enim et omnes, qui illius opinionem secuti sunt, bonas esse et malas res publicas docuerant, quae inter se sic differant: bonas esse, quae bonum commune, id est bonum omnium civium, adiuvent promoteant augeant, econtra quae soli suo ipsarum bono studeant malas - id quod et ad monarchiam et ad aristocratiam et ad democratiam spectare contendunt omnes illi et docent illam qua peior numquam existat rem publicam esse tyrannidem, quoniam unus solus contra leges vel sine legibus ad sui ipsius neglectis civibus bonum augendum regat. Tyrannus igitur est, qui sine collegis solus regit et imperat ad sui ipsius bonum et civium bonum neglegit et aspernatur.

II

Quid sit tyrannus certioribus factis nobis quaerendi sunt habitus et mores tyranni. Inter omnes vero, qui hac de re egerunt, nullum novimus praestantiorem episcopo Achridensi paene ignoto, Theophylactum dico, qui undecimo et duodecimo floruit saeculis. Qui vir egregius et vere venerabilis in speculi quem vocant principum a se conscripti capitibus VII-X de tyranni moribus egit, cutus verba (apud Migne, Patrologia Graeca 126, pag. 270-273) in Romanorum linguam versa omissis certe quibusdam dictis proferemus: *Primo tyrannus per vim rerum potitur, quia neque suffragio neque consensu civium, sed raptu caede crudelitate usus habens rerum sibi arripit. Dein omni generi voluptatum triserviens subditis nihil nisi aerumnas ac dolores parat: nulli confisus homini nullum habet amicum, sed omnes sive bonos sive malos infestos sibi hostes et inimicos esse suspicatur. Et semper metuit, ne quis simili malitia usus fortior imperium suum extorquere conetur. Omnes igitur homines pauperes esse iubet tyrannus et leges omnino spernit. Agentes autem vel praetorianos circum se colligit et publica vescit pecunia id agens, ut pro se caedant rapiant violent. Tum imperante tyranno agricola lacrimas metit, nauta se non a fluctibus sed a tyranni crudelitate obmersum esse queritur, cives ab illo semper se opprimi sentiunt: alii enim divitiae tolluntur, alii filia vi violatur, alii uxor abripitur. At ipse tyrannus*

neque uxorem nec liberos amore amplectitur, sed omnibus diffidit, ne somno quidem confidit, quia nemorti sorori se tradat somnus, timet atque metuit. Quin etiam praetoriani vel agentes ne se trucident metuit.

Sic igitur e metu ac timore definitur tyrannus, qui quin omni caritate et amore careat nemo est qui dubitet.

III

Si quis deliberat, liceatne tyrannum necare, saepe in animo volutet quaestionem hanc: fietne successus e morte tyranni? Nam si e morte tyranni huius novus statim orietur tyrannus, certe non licet ferro uti; e morte huius tyranni nova et libera evadat res publica necesse est. Sic coniuratores diligenter deliberent, quid e coniuratione eveniat: finis enim omnis contra tyrannum coniurationis erit libera res publica, quae legibus veris obtemperabit!

IV

De coniuratis cum egerimus, quaeramus necesse est, quis contra tyrannum surgere debeat. Et profitemur populum suffragio usum contra tyrannum agere posse, vel si populo toti convenire nequeat, repraesentantibus suffragio esse utendum. Semper autem id agendum est, ut valentior populi pars contra tyrannum surgat et suffragio confecto istum virum (vel istam feminam) vere esse tyrannum probet atque statuat.


V

Quae cum ita sint, ius resistantiae existere contemur. Illud resistantiae ius pendet
- e recta tyranni definitione
- e successu possibili exspectando
- e populi suffragio vel populi assensione.

Ergo licet tyrannum occidere et necare, si vere tyrannus est. E temporibus Harmodii et Aristogitonis (vide Ciceronis Tusc. I 49, 116 et Auli Gelli Noct. Att. IX 2, 10) usque ad nostra tempora res eadem est: si vere est tyrannus, necari potest. Die enim 25 mensis Decembris anni p.C.n. 1989 milites quidam Helenam et Nicolaum Ceausescu interfecerant: recte et iure hoc munus perfecerant, quia vere erant tyranni.

Wilhelmus

Guilhelmus BLUM Monacensis



CUM APRILIS REDIT GRATUS...

In monasterio Hispanico Sanctae Mariae de Ripoll undecimo et duodecimo saeculo schola poetarum floruit, unde originem habent viginti carmina erotica, quae auctor anonymus circiter a. 1770-1775 composuit. In his sunt tria ideo digna, quae hoc numero lectoribus Melissae praebantur, quod de tempore agunt mensis Aprilis.

Versum duodecasyllabum Alexandrinum et octosyllabum trochaicum poeta admodum habiliter tractat, licet in rimis aliquotiens sit impurior et in ultima lima neglegentior. Structura carminum grammaticalis est simplex et ipsa argumenta, quamquam levia et lasciva, tamen venusta et satis perspicua, quo fit, ut ne tironibus quidem nimis sint difficultia.

Qui de his plura scire cupit, legat in F.J.E. Raby, *A History of Secular Latin Poetry*, vol. II (1967), pp. 236-247. Specimina publicata sunt etiam in eiusdem auctoris opere *The Oxford Book of Medieval Latin Verse* (1959), pp. 332-340. Tituli carminum sunt ex codice.

1. *Quomodo primum amavit*

Aprilis tempore, quo nemus frondibus
et pratum roseis ornatur floribus,
iuventus tenera fervet amoribus.

Fervet amoribus iuventus tenera,
pie cum concinit omnis avicula
et cantat dulciter silvestris merula.

Amor tunc militat cum matre Venere,
arcum eburneum non cessat flectere,
ut matris valeat regnum extendere.

Venatu rediens eodem tempore,
sol cum descenderet vergente cardine,
errantes catulos coepi requirere.

Quos circumspiciens nusquam reperio,
unde non modicum sed satis doleo.

non cessans igitur perditos quaerito.

Illos dum quaerito, filius Veneris,
in arcu residens, ad instar numinis,
inquit: «quo properas, dilecte iuvenis?

Dianae pharetrae fractae sunt denuo,
arcus Cupidinis sumetur amodo:
laborem, itaque, dimittas, moneo.

Dimittas moneo laborem itaque;
non est conveniens hoc tali tempore:
Veneri potius debemus ludere.

Ignoras forsitan ludos Cupidinis?
sed valde dedecet, si talis iuvenis
non ludit saepius in aula Veneris.

Si semel luderis in eius curia,
non eam deseres ulla penuria,
illi sed servies mente continua.»

Ad culus monitus totus contremui,
velut exterritus ad terram cecidi;
sic novis ignibus statim incalui.

2. *De somnio*

Si vera somnia forent, quae somnio,
magno perenniter repleret gaudio.

Aprilis tempore, dum solus dormio,
in prato viridi, iam satis florido,
virgo pulcherrima, vultu sidereo
et proles sanguine processa regio,
ante me visa est, quae suo pallio
auram mihi facit cum magno studio.

Auram dum ventilat, interdum dulcia
ore mellifluo iungebat basia,
et latus lateri funxisset pariter.

= gr. 3
cf. p. 14

sed primum timuit, ne ferrem graviter.

Tandem sic loquitur, monitu Veneris:
ad te devenio, dilecte iuvenis,
face Cupidinis succensa pectore;
mente te diligo cum toto corpore.
Ni me dilexeris sicut te diligo,
credas quod moriar dolore nimio.
Quare te deprecor, o decus iuvenum,
ut non me negligas, sed des solacium.
Nec iuste poteris nunc me negligere,
quippe sum regio progressa sanguine.
Aurum et pallia, vestes purpureas,
renones griseos et pelles varias
plures tibi dabo, si gratus fueris,
et ut te diligo sic me dilexeris.
Si pulchram faciem quaeris et splendidam,
hic sum, me teneas, quia te diligam:
cum nullus pulchrior te sit in saeculo,
ut pulchram habeas amicam cupio.»

His verbis virginis commotus ilico,
ipsam amplexis duris circumligo.
Genas deosculans, papillas palpito,
post illud dulcius secretum compleo.

Inferre igitur possum quod nimium
felix ipse forem et plus quam nimium,
illam si virginem tenerem vigilans,
quam prato tenui, dum fui somnians.

3. De aestate

Redit aestas cunctis grata,
viret herba iam per prata;
nemus frondibus ornatur,
sic per frondes renovatur.

Bruma vilis, nebulosa,
erat nobis taediosa.

Cum Aprilis redit gratus
floribus circumstipatus,
Philomena cantilena
replet nemoris amoena,
et puellae per plateas
intricatas dant choreas.

Omnis ergo adolescens
in amore sit fervescens,
quaerat cum quo delectetur
et, ut amet, sic ametur.

Et amicum virgo decens
talem quaerat, qui sit recens
atque velit modo parti
tam amare quam amari.

Iuvenis et virgo pulchra
in obscuro premant fulbra,
et vicissim per connexus
dulces sibi dent amplexus.

Osculetur os, maxillam,
iuvenis dum tenet illam;
tangat pectus et papillam
satis aptam et pauxillam.

Femur femori iungatur,
fructus Veneris sumatur,
tunc omnino ccesset clamor:
adimplebitur sic amor.

Non panxit, sed aliena evulgavit
Thomas PEKKANEN Helsinkiensis

HAC NOVA REGULA (30 cm.)

discipuli, magistri, omnes profiteantur se Latinitati favere!

Premium: 50 FB (videatis paginam medium)

L I N G U A M L A T I N A M



CERTAMEN CATULLIANUM

MCMXC

XXIV EDITIO

Academia Catulliana, munifico patrocinio gavisa eorum qui Veronensi Vicetinae Bellunensi et Anconitanae argentariae parsimoniae, Italice «Cassa di Risparmio», praesunt, quique summa liberalitate curant quae ad studia humanitatis ac litterarum pertinent, inter omnes gentes Latinae linguae certamen quotannis proponit.

Certamen in partes duas divisum est: prior docentibus et cultoribus Latinae linguae; altera discipulis omnium scholarum servatur.

Quae tractantur quaeque quaeruntur, a Certaminis competitoribus ex libera sua cuiusque voluntate eliguntur.

Docentes et cultores, nempe modo ac ratione spatiū adhibentes, carmina quoque offerre possunt; at contra discipulis oratione soluta utendum est neque scribendum plus quattuor paginis in folio.

Docentibus et cultoribus machina scriptoria utendum est; discipulis vero ut suapte manu scribant, facultas est.

Docentibus, cultoribus, discipulis nomina et cognomina una cum domiciliī significatione scribenda sunt in schedula obsignata occlusaque, quoniam eorum opera sunt sine nomine offerenda; sed in folio et in schedula occlusa, idem dictum vel eandem sententiam clare illi signare debent.

Discipulis autem praeter nomina cognominaque in schedula una cum domicilio, scholae et magistri a quo erudiuntur, designatio est annotanda.

Scripta per cursorem publicum mitti debent ad
«Certamen Catullianum» Casella Postale 514
(Cassa di Risparmio di Verona Vicenza Belluno e Ancona)
37121 Verona
in tricesimo die mensis Aprilis MCMXC.

Haec praemia victores consequuntur videlicet:

- I. Primus inter omnes docentum et cultorum Victorum praemio honoratur, quod «Catullus auratus» dici solet, atque tres dies Lacisii in lacu Benaco, pulcherrima in taberna, optimo hospitio accipi potest.
- II. Primus inter discipulos qui victores iudicati sunt, maximo praemio laudatur, quod aurato numismate constat.
- III. Numismata in Victorum honorem argentata atque ex aere distribuuntur omnibus qui per gradus sunt collocati post et primum docentium cultorumque et primum discipulorum ad arbitrium Certaminis iudicium, lectis atque iudicatis omnium competitorum operibus.
- IV. Omnes exterarum gentium competitores, qui per gradus ex merito dispositi sunt, trium dierum Lacisii in lacu Benaco, ut supra de primo victore docentum et cultorum memoratur, hospitio optimo ac liberali utuntur.

De exitu Certaminis feliciter confecti per publicum cursorem quam celerrime commendatis epistulis omnes victores certiores fiunt.

Scripta non restituuntur.

Praemia victoribus persolvuntur praesentibus optimis viris liberalium artium studio, docentibus discipulisque scholae Veronensis, in publicis sollemnibus.

Certamini Catulliano praeest Sebastianus Cassarino iuris processualis administrativi professor et Rector Veronae Universitatis.

Collegium autem Certaminis iudicium constituunt videlicet: Lanfrancus Vecchiato, Academiae Catulliana praeses, Petrus Aloisius Laita, Universitatis docens, Ioannes Gasparotto, litterarum Latinarum Universitatis professor, Leonardus Urbinati, Latinae atque Graeciae linguae doctor, Vaclav Bahnik, Latinae atque Graeciae linguae professor et translator.

Gulielmina Bigi, in Latinis linguis versata ac magistra, Collegii iudicium munere scribae fungens.




LATINE LOQUI... UBI CONDISCATUR

SEMINARIA LATINA

Dr P. Caelestis Eichenseer hoc anno moderabitur duo seminaria, ubi sua solita via iucunde docebit sermonis Latini usum cottidianum:

10 - 17 m. Augusti anno 1990, Vestendae (Westende) in BELGICA



ad litus maris harenosum, ubi pernoctatio victusque in hospitio communi relative parvi constant. Invitantur magistri, alumni, discipuli, omnes linguae Latinae cultores, praesertim qui censeant hanc linguam optimum, quin etiam necessarium, unionis vinculum fore inter gentes Europaeas.

Ad quod participandum, interrogandus est:

Dr Gaius LICOPPE
Avenue de Tervueren, 76
B-1040 Bruxelles
Tel. 02/735 04 08

**22 - 28 m. Iulii (nec Augusti, ut falso nuntiavera-
mus) anno 1990, Morsaci (Morschach) in HELVETIA**

qui locus saluberrimus aliquibus centum quinquaginta metris supra lacum "Quattuor Regionum" situs est, unde montium clivi bene accessibiles sunt maximeque mirabilis prospectus ad lacum ipsum et ad montes circumiacentes praebetur.

Ad quod participandum, interroganda est:

Erica ROTH
Aeschistrasse, 6
CH-3110 Münsingen
Tel. 031/920823

IN DOMO LATINA BRUXELLENSI

(64 bte 74 Avenue Albert-Elisabeth, 1200 Bruxelles)
lingua Latina docetur vivo modo: institutio filii Mercurii die hora 18.00.
Si quis plura scire cupit: tel. 02/735 04 08.

FERIAE LATINAЕ

18-25 m. Augusti anno 1990, Nicaeae habebuntur in Dioecesis Nicensis Seminarii Aedibus, unde pulcherrimus prospectus praebetur ad mare Mediterraneum. De Feriis Latinis participandis interrogandus est:

Clément DESESSARD
Résidence des Collines, C 9
Rue Léo Brun
F-06210 Mandelieu
Tel. 93 49 01 91

SCHOLAE FRISINGENSES

30 m. Iulii - 3 m. Augusti anno 1990

Hae scholae omnibus, qui Latine loqui aut ipsi solent aut discere cupiunt, opportunitatem commodissimam huius artis exercendae praebent. Viginti fere scholarchae diversissima argumenta in variis scholis tractabunt.

Schedae inscriptionis petendae sunt a:

Prof. Dr Wilfried STROH
Universität, Institut für Klass. Philologie
Gesellschuster-Scholl-Platz, 1
D-8000 München 22.

SEPTIMANA LATINA : LATINE LOQUI - ROMANE COQUERE

12 - 18 m. Augusti anno 1990, Amoeneburgi. Moderatores invitant ad sermonem Latinum in vita cottidiana exercendum. Etiam res coquinariae Romanae colentur; participes apportent etiam instrumenta musica et photomachinas. De hac septimana interrogandus est:

Robertus Maier
Dresdener Strasse, 10
D-6070 Langen
Tel. 06103-71652